CONCLAVE VIRTUTUM
CLEMENTI
UNDECIMO
PRINCIPI OPT. MAX.

A JOANNE FRANCISCO DE PASSIONEIS
FOROSEMPRONIENSI
Collegii Clementini Convictore, & Academico

Æſtro Fatidico reſeratum.
ANNO MDCCI.



ROMÆ MDCCI.
Ex Typographia Lucæ Antonii Chracas, propè M.C. Innocentianam
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLEMENTI UNDECIMO PONT. OPT. MAX.

Joannes Franciſcus de Paſſioneis.

MAXIMUM ubi virtutis incrementum eſt, BEATISSIME PATER, ibi & encomia extorquentur, & extorta longè minora deprehenduntur exactis; Si noſtri igitur ingenii tenuitas, quamvis tanto oneri impar tuis aliquid, decerpere dicam ne, an delibare è laudibus geſtit, te ipſum conſule,

Digitized by Google

ſi minor eſt; Meæ profectò imbecillitati ignoſces, cùm tuarum virtutum ſeriem æqua lance perpenderis; Hæ enim, cùm humanas excedunt vires, quid mirum humanis laudibus contineri non poſſint? Hæc tamen utcumque ſe habeant, nimis arduum cohibere linguas, cùm nec animos geſtientes ipſa queat imperantis modeſtia coercere; Et ſanè, qua lege continerer, cùm tot inter publicas acclamantium voces, tot inter populorum gaudia, hilareſque plauſus, privatam cujuſque felicitatem communibus adauctam auſpiciis ſentirem, itaùt te unum omnibus, te unum cuique indulſiſſe Cœlites viderentur. Ne igitur in tot meritorum tuorum congerie, torporis, & erga beneficiorum munificentiam ingrati animi labe redarguar, germani Obſequia meis conjungam; Rectè enim ambobus conjurandum erat in laudes tuas, dum tu & ambobus uberrimam laudum tuarum materiem impertiebaris; Nobis ſiquidèm certandum laudibus, dum tu certas beneficiis; Utcumque igitur humili ingenio exarata carmina ſereno vultũ intuearis precor, atque obteſtor, hęc, ut reddes excipiendo tua, profectò quam ab ortu ſortita ſunt, dediſcent infirmitatem.

CAR-

CARMEN.

GAUDIA Terrigenum, lætantûm Gaudia Divûm,
Æternumque Decus, Majeſtatemque verendam,
CLEMENTIS *canimus, qualem vix Summa Poteſtas,*
Induit, ut ſubitò ſit ſe confeſſa minorem.
Interea proh Sancte Pater, Pater Arbiter Orbis,
Cœleſtes mihi pande modos, quibus hauriat altum,
Indefeſſus iter mentis furor, inde caleſcat,
Plusquàm Pierius flammis par omnibus, unus,
Ardor, & ignivomæ moveantur carmine fibræ.
Eja age, pande libens, nam te mandante, volatu,
Tutum erit inſolitas vatum tranſcendere metas,
Damnatosque aliis cantu conſumere fontes;
Magna canam, nec ficta canam, namque ocyor igne,
In Sublime ferar, nimiùmque micantia figam,
Syderibus cognata ſuis NOVA SYDERA *Cœlo.*
Obruta Sanguinei ſpiſſa caligine Martis,
Ferales Europa diù ſudaverat annos;
Nilque urbes, niſi luctus erant, truculentaque bellis,
Bella ſequebantur, conjurat æque ruinæ,
Horrendum tonuere minis, tantæque Gradivum,
Terruerant clades auctorem, hinc Marte peracto,
Evulſas videas armis furialibus urbes,
Mixtaque ſemirutos ſuperare cadavera muros;
Illìc ſi aſpicias, uno cumulantur acervo,
Armorum fragmenta, faces, galeæque cadentum,
Atque imperfecto luctantia corpora letho.
Sed poſtquam nimium viſum eſt fudiſſe cruoris,
Atque truces expleſſe animos, calybemque minacem,

Fune-

Funeſtaſſe ſatis; veteres oblita furores,
Protinus ira minor, ſolitô & clementior ætas,
Erexit pudibunda caput male certa ſalutis.
Qualiter eoo redivivus ab æquore Titan,
Cùm pelagi decreſcit hyems, nubesque recedunt,
Maturæ nec crevit adhuc audacia lucis
Exerit os, timet & primos infantia greſſus.
Vix tamen orta quies, & læto munere pacis
Sollicitas hominum cœpit componere curas;
In nova bella movent, ſtygiis renovatque ſub undis,
Conſumptas Bellona faces, veteresque furores,
Imperat eſſe pios; Iterum Deus Armiger atras,
Sanguineo lavat imbre comas, avidoque futuros,
Ædificat capiti cineres, cui ſæva cruentum,
Mors ferrugineo currum tenebravit amictû,
Armavitque manus; Auditur flebile Murmur,
Heſperiæ, flavusque Tagus, qui fletibus undas,
Accelerans, lacrymas vidua diſpenſat ab urna.
At verò ut primùm venturi exordia belli,
Virtutum numeroſa cohors deſpexit ab alto,
Agnovit miſerata ſuos, jam jamque cadentes,
Fronti aderant lachrymæ, vetuit ſed gloria fletus;
Nec valuere moræ, congeſtum pectore faſſæ,
Grande aliquid quæque una premi, acceſſere Tonanti.
Tollitur alta Domus compacti terminus Orbis,
Exultatque polis, nitet hic pulcherrimus ordo,
Immenſumque aperitur opus, nec Cœlica pallet,
Materies ſatiata auro, ſolidoque micantes,
Nec ſordent adamante fores, ſed tecta coronat,
Aſtrorum geniale jubar, radiisque ſerenis,
Inter Sydereos VITREUM MARE *fulgurat ignes.*
Aſt intus quodcumque nitet, quodcumque movetur,
Panditur immane, ingens luminis incrementum.

Mira

Mira oculis facies! lux obſtupet ipſa nitores,
Admirata ſuos, auras ſpiratque perennes,
Majeſtas ſecura loci, partemque videre eſt,
Unde minora fluunt felicis gaudia terræ;
In medio ſurgit ſedes chryſtallina, circum,
Hanc, virides formoſa Iris ſinuatur in arcus,
Quos ſuper inſontum colludunt plurima amorum,
Agmina, & æterna jam dudum luce fruuntur.
Hìc ſedet Omnipotens ſeptena lampade cinctus,
Effulgetque Pater, ſimul & Sapientia Patris,
Natus, & hos inter procedens Mutuus Ardor,
Quos unum Natura facit Divina, tribusque,
Simplex, una ſubeſt ſubſtantia. Conſtitit ante,
Majeſtas ubi ſede nitet, præclara Dearum,
Turba, pavent ſubitam nimis obvia lumina lucem,
Præcipitantque genû; celſi tum Rector Olympi,
Ut ſubitò è ſolio magnum, Auguſtumque Senatum,
Aſpexit, Sceptro mandante ſilentia juſſit.
Ergo ùt ſupplicibus conceſſa licentia fandi,
Arbitra virtutum ductrix Prudentia cœpit.
Summe hominum, Divumque Pater; Suprema Poteſtas,
Sic tua, ſic miſeris avertis lumina terris?
Atque ſinis regnare diù teſtata nefaſtos,
Secla dies, tantisque homines ſuccumbere fatis?
Forſan ſi qua tibi meritas expendere pœnas
Mens fuit Europæ, jam tot durata per annos,
Non ſatis innumeras hauſit diſcordia clades?
Aſpice proh quantis lateant ſub cædibus urbes,
Concretoque virûm tumulentur ſanguine campi;
Aſpice ùt exanimes iterum furor excitet ignes,
Bacceturque animis, fatisque negantibus arma;
Arma viri rapiant, timeant, inſtentque, ruantque,
Præcipites, Bellum paveant, Bellumque minentur.

Aſpicis

Aſpicis hæc? precor ob celeres averte ruinas,
Creſcendique impone modum, neque enim ardua credā
Hæc ea, quæ petimus, tua ſi modò provida cedant,
Dignam juſſa animam, dicas, heu! denique terris,
Unanimi aſſenſu lacrymis jam parcite gentes,
Pontificem dedimus, (quippè infula ſumma paratur).
Qualis erat, quantusque fuit, qui nuper eodem,
Inſignis ſolio legum probitate beatos,
Reddiderat populos, & quæ cœleſtia credas,
Fecerat eſſe hominum, quem tandem moribus æquis
Abſtulimus terris, noſtraque locavimus aula;
Pontificem dedimus, pleno pax aurea cornu
Manſuras mox pandet opes, tenuique volatû,
Aurea diſcutiet libratis Secula pennis.
Omnibus unus amor, (proh dulcia Secula!) plauſus,
Omnibus unus erit, tanta & ſub Principis aura,
Lætantes potiiſſe parùm, Superique, Hominesque,
Majorem ſtupeant votis; ſic fata; Tonantem
Crediderat precibus jam jam flexiſſe, ſed orſa
Occupat, (in tanto mirùm potuiſſe dolore!),
Anxia Relligio, tenet hæc tellure jacentes,
Prona oculos, viduoque tegit velamine frontem,
Inſcia venturæ ſortis, ſed blandus in illa,
Ipſe dolor, luctusque placet, majorque renidet,
Ore decor, cogitque ſibi ſervire tenebras.
Ut poſtquam virides antri ſatis ebibit auras;
Extat opus Phydiæ, cujus frons ſaxea, muſco,
Semiſepulta jacet, roditque inimica vetuſtas,
Exeſo lacera ora ſitu, tamen intus imago,
Vivit adhuc, ingensque etiam ſtat forma, decorque;
Tota ævi rabies, potuit nec condere totum,
Artificem; tali in ſpeciem lugentis, amictu,
Ora tegens ſupplex ſic incipit. Arbiter ævi,
Ergo
Digitized by Google

Ergo nulla dies, pietas nec leniet ulla,
Aſpera fata hominum, facilisque movebere numquàm
Pacem exoptatam miſeris concedere rebus?
Aut hoc ſi nimium, tantùm ſit cura futuris
Exitiis ſervare pios, nam debita quamvis
Quæ patimur, dudum nos & meruiſſe fatemur,
Speramus ſed poſſe frui, tua ſcilicet ira
Indulgens, hæc vota fovet, cùm ſæpius ipſis,
Fulminibus placuïſſe ſolet, tantisque periclis,
Sic placet, ut præſens etiam videatur abeſſe.
Aſt quidquid petimus; petitis quæ (credite), ab ævi
Sunt data, Numen ait, noſtro nec talia nuper,
Conſtiterant animo, ſed temporis ante rotatus
Hæc alta ſub mente ſedent, tuque omnibus unà,
Interea deſiſte queri; Majora petitis,
Jam dabimus terris, neque enim diverſa rogantum,
Vota, precesque obſtant, immò vos ipſe monebo,
Nunc quantum ſperare datum, tandemque recludam
Quid largitorem, quid ſit ſentire Tonantem.
Annuimus dictis; populis ventura Poteſtas,
SYDERIBUS *redimita caput deſcendet ab altis*
MONTIBUS, *è dextris quorum veſtigia lambit,*
Fœcundis METAURUS *aquis; pernicibus ergo,*
Carpite iter pennis, hilaremque intendite curſum,
Quà ſeptemgemino conſurgit vertice Roma;
Illa Virum, dabit illa Caput, *dabit illa Parentem,*
Noſcere quem dedimus, tantumque Heroa paratum,
Ex quo Romuleæ ſuccreſcant altius arces,
Dixerat; infremuit non æquo murmure vulgus
Cælicolum de more, vetat ſed plura profari
Omnipotens, motaque manu demiſit ovantes;
Conticuere datis, & prono poplite flexum,
Submiſere caput confeſſa gaudia vultu.

B *Auditis,*

Auditis, quà Numen habet per magna Tonantis,
Atria fit clamor ; ſuperi namque ordine nullo,
Accelerant, ollis quorum pars eligit axem,
Componitque viæ, pars altera fronte citatos,
Addit equos curru, verbis gratantur amicis
Circum alii, dextraque docent, quæ ſemita monſtret
Fortunatorum Latiam Sedem populorum.
Jamque aſcendebant inter tot gaudia currum,
Virtutum præclara Phalanx, vix attamen illo,
Exiliere loco, (fertur ſic fervidus axis),
Ut ſuperum mox rapta oculis, jam jamque videbant
Romuleas longè nubes ; tum fudit obortas,
Dulcis amor lachrymas, vetuit nec gloria fletus,
Nam ſi profuſis corrumpere lumina guttis
Nuper pœna fuit, nunc eſt ſic flere voluptas.
Vix ea ; cùm tacitè currus conſedit, ubi ingens,
Vaticanus Apex felicia culmina Cælo,
Inſerit, & mediis deſpectat nubibus urbem.
Axis ad aſpectum videas allambere circum,
Prodigiale jubar, flammiſque incendere culmen
Innocuis ; veluti ſi quando gurgite ab imo,
Unda repercuſſa vibrat mendacia flammas;
Jam credas latices totis ardere favillis,
Inſcius, at gelidis aliena incendia linguis
Circum dulce micant, nullis paritura timorem.
Tempus erat, quo prima aperit primordia lucis,
Phoſphorus, & linquit ſurgens aurora cubile,
Illa tamen dubiis dormire videtur in umbris.
Purpurei tunc ergo Patres (Cæleſtis euntes
Tantum amor extimulat,) citiùs de more, ſueto
Devenere loco, toties ubi pixide in una,
Ponitur Imperium, donec diviſa voluntas,
Unanimi aſſenſu Procerum collimet in unum.

Talia

Digitized by Google

Talia dum peragunt, culmen jam Turba Dearum,
Liquerat, & media velox convenerat aula.
Prodigiis quæ ſcena patet? qua lumina tendas,
Nil ſpectare datum, nullæ ſtant pervia luci,
Corpora, jam formas omnes exuta colorum.
Vix tamen ille oculos, qui Majeſtate futura
Grande coruſcabat, paulùm tellure jacentes
Suſtulit ad Cælos, extemplò ut vidit amicas,
Agnovitque Deas, (namque ipſas cernere, tantùm,
Huìc ſuperi indulſere); labor tunc arduus illis,
Cui faveant mandata poli, ſpiretque verendum,
Quænam purpureo major reverentia cœtû.
Fors & adhuc dubia (Patrum præſentia tantis,
Irradiat meritis) verùm aſſurgente Senatû,
Quem non abſcondit privata modeſtia frontis,
Imperio ſenſere parem, tunc fulminis inſtar,
Agglomerata manus, procerum ſeſeque viciſſim,
Faſſa oculis, voto vota hæc conjungit in uno.
Tu Mundi communis amor, tu gloria, tu ſpes,
Ne quid turpe puta ſemel indulgere parumper,
Plurima nos humilem demittere ad oſcula frontem,
Atque frui dulci alloquio, precor annue, felix
Te ſine Nulla dies, noctis nec amabilis umbra;
Avertet mala vota Deus! nec plurima fando,
Impatiens jam Turba moræ dùm ſacra ſilentis,
Cingere tergeminis intendit tempora vittis,
Abnuit ille, piis lachrymæ tum ſponte cadentes
Irriguere genis, nimio & pallore reluctans,
Perdidit ora rubor; circumſtetit admirantum,
Copia, flectatur voto niſi ſupplice Princeps,
Jam jam communem deſperatura ſalutem.
Sed triſtes poſtquam lachrymas ſatis edidit, ingens,
Invenit quoque verba dolor, nam provida juſti,

Digitized by Google

Servatrix Aſtrea moras male paſſa timeri,
Talia dicta dedit. Princeps juſtiſſime, Princeps,
Incaſſum ne perge queri, cœleſtia triſtes,
Juſſa vetant lacbrymas; nos te Deus ipſe praire
Iuſſit ad Imperium, datur hæc tibi ſumma Poteſtas
Conſilio Superum, nondum maturior ætas,
Quæque repellentum viduo ſuccedere regna,
Obſtabant, ſuppleta Deo, te à Numine Regem,
Non ne probant? quando deſunt mortalia, Cœlum
Auctor. Nil ne movet Patrum concordia? Tantùm
Hoc meruit juratus amor? non plurima; Amorem,
Aut jam redde tuis, collatum aut accipe Regnum.
Debueras aut tu merito caruiſſe; Poteſtas,
Eligitur virtute tua, non auſpice voto;
Virtutem lædis, ſi præmia ſubtrahis, illa,
Vel te, ſi meritò, quod jam fata æqua dederunt,
Denegat Imperium; ſolio decedere quondam,
Tentarunt alii, ſed poſtquam copia fletus
Adſtantum tenuere oculos, animique dolentis,
Conſilio patuit nimii indulgentia luctus,
Concedens lacrymis mens Imperioſa petitis,
Paruit, & parens numquam meliora jubentis,
Argumenta dedit; quid adhuc modò Sceptra recuſas,
Amplecti? tantoque animum componere regno?
Hìc etiam lacbrymas procerum mæſtiſſimus ordo,
Effundit, luctusque parum ſi copia, creſcit,
Fletibus aucta tuis, luctus oblite tuorum,
Quod ſi adeò perſtas, ſi quid data fœdera amoris,
Si quid noſtra fides, & quod mihi dulcius, aut tu,
Reſpice, quæ dedimus, nam ſi te digna; quid obſtas?
Te niſi digna, Dator faciet; tantum accipe regnum.
Hæc ait, ille dolens admota lumina palla,
Nudabat lacbrymis, paulùm & ſolatus, ab ore

Contra

Digitized by Google

Contra pauca refert ; hoc dum mea denegat ætas,
Et mediis longè virtus infirmior annis,
Iam dudùm renui, ſed quid renuiſſe juvabit,
Si Deus eſſe jubet, cedendo vincitur, ergo,
(Cogimur heu nimium !) , mihi ſi conceſſa poteſtas,
Conſilio Superum, Superis parere neceſſe eſt.
Finierat ; veteres cedunt in gaudia luctus,
Imperat ò plauſus, Populi, proceruumque Senatus,
Lætatur pro votis rem ceſſiſſe, fatetur
Quin majus ſibi quiſq, datū; O nimis Inclyte Princeps,
Grandia quem tantùm populorum commoda regno,
Evexere, tuam fruſtrà numeravimus ante
Virtutum Seriem, ſi nunc ſuperare videmus,
Incrementa, tamen melior fauſtiſſima Romæ,
Sors mihi Teſtis erit, majus quo ſemper in uno,
Auctumque inveniet, quo duratura Poteſtas.
Felix Roma, tuis dudum tumulata triumphis
Exere te veterem, ſimul & rediviva ruinas
Pulvereo deterge ſitu, ſic cana ſenectus
Principe ſub tanto diſcet juveneſcere, ſic &
Relliquias operum, laceræque cadavera pompæ
Quidquid & exanimis tanta latet urbis in urbe,
Emendare datum. Non ſi mihi Carminis Auctor,
Carmina det centum, centum det Mantua, cẽntum,
Thebarum generoſa Chelys, tanto excitus aſtro,
Sufficerem, priſcos quantum ſuperaverit annos,
Clara dies, de qua mirata eſt fama canendo,
Seu quod concinerit, vel viſa ſit ante ſilere.
Quò rapior ? Quò mente feror ? me Sydera poſcunt;
Et teſtata vocant languentis ad atria Cœtus,
CLEMENTEM*q;notant morienti occurrere;Cerne,ut,*
Anxius extremas vitæ commendat Olympo,
Relliquias, ſtygioque rapit mala vota Tyranno,

Parte

Parte alia videas; Sed jam properate canentes,
O Superi, queis tanta datum miracla tueri;
Non niſi Sydereo ſunt hac celebranda triumpho.

Finis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google